



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

VII. Nehemias & Judas Machabaeus Canonem recognoverunt & confirmarunt; novum vero Ecclesia Christi edidit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

rum vulgatissima opinio sit, Scripturam sacram, quæ nullis sectionibus, interpunctio-  
nibus nullis ad illam diem distincta erat, sed veluti unico comprehensa versu tota si-  
mul coharebat, à Synagoga Magna, cujus Esdræ fuisse Scribam aiunt, in פְּרָשִׁיּוֹת,  
& in סְרָרִים, & in פְּטוּקִים, aliasque partes esse divisam, eandem quoque à Scribis,  
eorumque principe Esdra octodecim locis emendatam, quos Masorethæ numerant,  
& תְּקוּן סְפָרִים, ordinationem Scribarum, & תְּקוּן עֵרָא, ordinationem Esdræ appellant;  
cum priscos etiam Ebraicæ linguæ characteres hoc tempore Esdra auctore Assyriis mu-  
tatos esse Thalmudistæ affirmant in Tractatu Sanhedrin, doctique omnes assentian-  
tur; quæ sine magni hujus Confessus auctoritate & consilio fieri haudquaquam po-  
tuisse manifestum est: quis credat tantum operæ ac studii in Scripturæ sacre chara-  
cteribus mutandis, sectionibus determinandis, notandis sectionibus, distinguendis versibus  
posuisse Synagoga Magnam, ejusque velut mentem Esdræ; totos vero Libros  
ipsos neglexisse, deque eorum numero definiendo ac sanciendo minime cogitasse?

Tract. Sanh.  
cap. 2.

VI. Id si obtinemus, quod nobis omnino concedendum est, jam liquet non  
alium quærendum esse auctorem, quam Esdræ & Synagoga Magnam, addita-  
mentorum quorundam, quæ ad Librorum sacrorum connexionem, vel illustrationem  
hinc & inde sparsa sunt. Cujusmodi sunt, quæ de Mosis morte ad calcem Pentateu-  
chi addita legimus. Aliam præterea operam in Codicibus sacris exornandis ab hac  
Synagoga collocatam fuisse ratus est Grotius, ad inscriptiones nimirum ac lemmata  
libris Prophetarum præfixenda: quod ex titulo libri Amos apparere existimat, qui talis  
est: *Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecne, quæ vidit super Israël in diebus Osie  
regis Judæ, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israël, ante duos annos terræ motus.* Ego  
vero & inscriptiones à Prophetis ipsis arbitror fuisse appositas, neque video quid ex  
hoc titulo pro contraria parte effici possit. Nam post terræ motum scribere hoc po-  
tuit Amos ipse, & vaticinii tempus ex hoc casu denotare; vel quod potius reor, im-  
minentem terræ motum, pro sua vaticinandi facultate prævidere & prædicere potuit,  
quod & his capituli tertii verbis factum ab eo quidam Interpretes censent: *Et percus-  
sionem domum hyemalem cum domo esirva: & peribunt domus eburnæ, & dissipabuntur ades  
multæ, dicit Dominus.* Huc adde in ipso vaticiniorum contextu ejusmodi inscriptiones  
occurrere, velut apud Zachariam, versu septimo primi capituli: *In die vicesima quarta  
undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam,  
filium Barachia, filii Addo, Prophetam, dicens:* item initio septimi capituli. Plurima hu-  
jusmodi reperies in brevissimo Aggæi vaticinio, plurima & in illo Jeremiæ; nonnulla  
etiam in Isaia, Ezechiele & Daniele. Ea profecto quin ab ipsis Auctoribus profecta  
sunt, minime dubitandum est. Id si evicero, quod negari non potest, jam una quoque  
evicero vaticiniis ipsis præfixas inscriptiones illarum confimiles, & prorsus germanas,  
eorundem quoque Auctorem esse, cum credibile non sit hos Auctores scriptionum  
suarum particulas his notis prænumiendas duxisse, tota vero opera ἀνετίθεσθαι & ἀνα-  
φύλαξαι emittenda censuisse.

Disputatur  
utrum inscri-  
ptiones libris  
Prophetarum  
præfixæ à Sy-  
nagoga ma-  
gna, an à  
Prophetis  
ipsis addita  
sint.  
Grot. in Amos  
1. 1.

Amos 3. 15.

VII. Cæterum operam Esdræ circa sancta Volumina, ac diligentiam imitatus  
Nehemias, priscos sacrarum scriptionum Codices conquisivit, magnam collegit anti-  
quitatis memoriam, rerum à se, fortasse & ab aliis, gestarum commentarios ipse scri-  
psit. Hæc sequuntur ex isto secundi Machabaici dicto: *Inferebantur autem in deseri-*  
*ptionibus & commentariis Nehemæ hæc eadem; & ut construens Bibliothecam congregavit*  
*de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis.* Quæ  
si ita sunt, ut certe sunt, Canonem haud dubie recognoverit Nehemias, & ex vete-  
rum exemplarium fide confirmaverit, Librumque demum, qui ejus nomine inscriptus  
est, quemadmodum suum Esdræ, in sacrum Canonem retulerit, atque hæc demum  
sanxerit auctoritate Magnæ ejusdem Synagoga, ad quam unam librorum consecra-  
tio pertinebat. Quamobrem exemplari illo aureis literis descripto, quod ad Philadel-  
phum Eleazarus Pontifex misit, Nehemæ liber continebatur, ut pote qui cum reli-  
quis Voluminibus sacris à Septuaginta Senibus interpretatione donatus sit. Post an-  
nos centum circiter & viginti, quam fieri id curavit Ptolemæus Philadelphus, An-  
tiochi Epiphaniis furias passis Hierosolymis, direptisque ac incensis, sacrarum Libro-  
rum curam sumit Judas Machabæus, & qui per bellum intercederant, recollegit,  
Nehemianam Bibliothecam supplevit, deditque operam ne qua sui parte Canon im-  
minueretur, pro eo ac fieri apud Judæos solitum fuisse scribit Josephus, ut post bella  
sanctos Libros Sacerdotes recenserent. Nam quid aliud sibi volunt ista, quæ in Epi-  
stola Hierosolymitanorum Judæorum ad Ægyptienfes Hellenistas nobis exhibet secun-  
dus Machabaicus; testimonio indidem proxime deprompto subnexa: *Similiter autem*  
*& Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud*  
*nos. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis.* Ipsi quippe Hellenistæ, ad quos

Nehemias &  
Judas Ma-  
chabæus Ca-  
nonem reco-  
gnoverunt &  
confirmarunt;  
novum vero  
Ecclesia  
Christi edi-  
dit.  
2. Mach. 2. 13.

Joseph. lib. 7.  
contr. Apion.

2. Mach. 2. 14.

hæc scripta sunt, Hierosolymitanam Synagogam de rebus divinis consulebant, ejusque decreta sequebantur. Quamobrem etsi libros quosdam habebant in pretio, cujusmodi fuerunt illi, qui dicti sunt *σοφιστικοί*, & *ἀκανόνιστοι*, & *ἀντιλογόμοι*, quosque ab Hellenistis acceptos Ecclesia Christi multo post in suum Canonem admisit, numquam tamen ab ipsis pro Canonicis, & *ἐκκλησιαστικαῖς*, ac *ἱεροῖς* habiti sunt, cum nec eos Hierosolymitana Synagoga consecrasset, nec id juris ipsi sibi arrogarent. Profecto si in Hellenistarum Canone habuissent locum, eundem & in Canone vetustiorum omnium Christianorum tenuissent; quod fuit secus: nam prioribus Ecclesie sæculis à multis repudiati sunt, & inter apocryphos habiti; at eos demum suscepit univèrsa Christi Ecclesia, & in suum Canonem dedicavit. In jura quippe & auctoritatem prisca Synagogæ successit Ecclesia, deque libris arbitria facere ipsam jus fasque fuit. Itaque suum ipsa sibi concinnavit Canonem, & à piis omnibus suscipi iussit.

VIII Operæpretium hic me facturum puto, si quæfivero quamobrem Canonici Libri intra Arcam, Apocryphi vero extra Arcam fuisse dici soleant. Ac veterum scripta Auctorum memoria repetenti mihi primus omnium occurrit Epiphanius, qui id affirmaverit in libro De ponderibus & mensuris: librum enim Sapientie, & Ecclesiasticum, quamvis utiles, & Canonicorum albo seclusos fuisse ait: *ὁδὸς*, inquit, *ἡ ἐν τῇ ἀρχῇ* ( *אָרְן* ) *οὐκ ἀνετίθησαν, ὅτι ἐν τῇ δὲ ἐκκλησίᾳ κεισώθη. Quamobrem & in Aron reposti non sunt, hoc est in Arca Fœderis.* Quod dictum sic expressit Johannes Damascenus: *ἢ ἡ πανάρετος, ταπεινὴ ἢ σοφία τῆς σαλομώνος, ἢ ἡ σοφία τῆς ἰσοῦ, ἐκείνη ἢ ἡ ἡμεῖς, ἀλλ' οὐκ ἀεθμοῦ* ( *ἢ ἡμεῖς, ἀλλ' οὐκ ἀεθμοῦ* ), *ὅτι ἐν τῇ κεισώθη. At Panaretus, hoc est Sapientia Salomonis, & Sapientia Jesu, egregia quidem virtutis præcepta continent, & pulchra sunt, sed non numerantur, neque in Arca habebantur.* Hinc liquet emendandos esse vulgatos Epiphanius Codices, in quibus particula infialis desideratur, & hæc ita leguntur, *ἢ ἐν τῇ ἀρχῇ ἀνετίθησαν.* Et in Aron reposti sunt. Unde male colligit Scaliger *σοφιστικοί* ideo esse dictos Sapientie & Ecclesiastici libros, quod intra Arcam Veteris Testamenti, in Sanctis sanctorum adytorum recondentur. Johannis Damasceni interpres Jodocus Clichthovæus Arcam Fœderis intelligendam censet, atque id magno consensu Recentiores pene omnes arripuerunt. At Judæorum varia & multiplex opinio est. Somniant quidam duas fuisse Arcas, alteram à Mose, à Beselele alteram fabricatam, hanc in Tabernaculo fuisse depositam, illam pro necessitate rerum huc illucque circumlatam; in hac reconditas fuisse Tabulas Legis integras repetitæ fabricationis, in illa Tabulas Legis contractas. Sic R. Jehuda ben Elai in Thalmudico libro שקלים, capite sexto; sic R. Bechai, & R. Selomoh Jarchi, & R. David Kimchi, sic & alii. Sententiæ autem hujus patronis quibusdam persuasum est, in Arca Mosæica præter fragmenta Tabularum fuisse etiam librum Legis. At Aben Ezra, Gerundensis, Abrabaniel, & quorum melior sententia menti, unicam fuisse Arcam volunt. Verum de rebus in ea reconditis haudquaquam inter illos convenit: quidam enim statuunt illuc conclusas fuisse Legis Tabulas utraq; & integras, & comminutas, librum Legis, virgam Aaronis, & urnam manna plenam; alii solas Tabulas, & fractas, & integras, in capsulam vero ad latus Arcæ librum Legis, Virgam, & Urnam includunt. De Tabulis fractis, Virga, & Urna nunc non quærimus; disputamus tantum de volumine Legis. Id in Arca servatum fuisse docet R. Meir in utroque Thalmude, Hierosolymitano, & Babylonico. Idem habetur in Debarim rabba, & apud Maimoniden. Hos sequitur Isaac Abrabaniel, hoc argumento, quod non minoris fuerit dignationis liber Legis ac Tabulæ ipsæ, proptereaque non alio loco fuerit asservandus. Hi omnes, ipseque adeo Epiphanius, unicum opinionis suæ præsidium collocant in celebri hoc commate Deuteronomii: *Postquam ergo scripsit Moses verba Legis hujus in volumine, atque complevit, præcipit Levitis qui portabant Arcam Fœderis Domini, dicens, Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ Fœderis Domini Dei vestri, & sit tibi contra te in testimonium.* Illic latus Arcæ interius notari censuerunt, & R. Meir aliquem Arcæ angulum intellexit vacuum à Tabulis relictum, & à volumine Legis occupatum. Verum exterius Arcæ latus designari, videntur probare verba ipsa Mosi, *כַּעַר הָאָרְן, à latere Arcæ,* quæ usurpantur à Sacerdotibus & divinis Philistinorum, in primo libro Samuelis, cum vasa aurea, quæ solvebant Deo, apponi jubent *in capsella, ad latus Arcæ.* Atqui hæc in Arcam ipsam condita fuisse nullus ex Interpretibus existimavit. Docent nos præterea Tertius Regum, & Secundus Paralipomenon, non aliud fuisse quicquam in Arca Fœderis, quam duas Tabulas lapideas. Ergo Jonathan Paraphrastes in capsula, ad latus dextrum Arcæ, positum fuisse credit Sepher, hoc est, volumen Mosæicum, & R. Juda in Babylonici Thalmudis citato loco, idem supra tabellam ex Arca foris prominentem locat; & Gemara ad caput primum Babæ bathræ, & ad Thalmudis Hierosolymitani librum שקלים, vult Mosem ad latus Arcæ adtrexuisse capsulam, ( *גַּלְתֵּי הַסֵּפֶר* ) appellat,

Disputatur de Arca, in qua reconditi fuisse feruntur Libri Canonici.

Scalig. in Euf.

R. Bech. in Deut. 10. 1. R. Sel. & R. Dav. Kimch. in 1. Sam. 4. Aben Ezr. in Deut. 10. 1. Gerund. ibid. Abrab. in Proph. prior.

Thalm. Hier. libr. שקלים cap. 66. Thalm. Babyl. in Baba bathr. Maimon. Pref. in Jad. Chaz. Abrab. in 1. Reg. 8. 9. Deut. 31. 24. & seq.

1. Sam. 6. 8.

3. Reg. 8. 9. 1. Par. 5. 10. Jonath. in Deut. 31.